

2°. A fortiori eandem pœnam incurrunt, qui intersunt acatholicorum functionibus aut servitiis, uti dici solent, aut prædicantem audiunt eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt ab eo persuaderi possint.

3°. Ita etiam eandem incurrunt excommunicationem qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant ut alii aut veniant ad aulas vel ad templa hæreticorum ad audiendas collationes.

4°. Tandem eadem innodantur pœna omnes qui typis publicant invitationes ad præfatas collationes et themata earundem, propter favorem quem tali actione præbent hæresis propagationi aut confirmationi. Strictissime vero vetatur ingredi mera curiositate et scienter aulas et templa Protestantium tempore collationum, et graviter peccant omnes, qui mera curiositate collationes Protestantium consultant et assistunt, quamvis materialiter, cæremoniis acatholicorum. (*Integra Instructio refertur in 'Acta S. Sedis' vol. XI. pagg. 168 et seqq.*)

39. Si autem sermo sit de disputatione, laicis etiam doctis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibitum est ne disputationes de fide ineant sive publice sive privatim cum hæreticis. *Cap. 2. h. t. in 6. § 'Tubemus'*. Laici enim licet docti non præsumuntur sacras scientias callere ut fas est ad confutandos hæreticos. Ob hanc rationem prohibetur laicis prædicare hæreticis. *C. 12. h. t.* At in locis in quibus sunt constitutæ societates hæreticorum, et ubi hæretici permixti vivunt cum catholicis, lex de vetita disputatione laicorum cum hæreticis in usu non servatur, præsertim quia frequens necessitas verificatur audaciores redarguendi de erroribus, necnon veritatem propugnandi, ne pusilli in fide coram hæretico scandalum patiantur.

40. Quoad Clericos non est in jure prohibitio disputandi de fide cum hæreticis ad fidem ipsam propugnandam. Et si quæ prohibitio videatur esse hujus generis in *can. 36. in fin. caus. 24. q. 3.* ea, ut adnotat Glossa, respicit casum disputationis dubitativæ, qua nempe Clericus quin protuatur veritatem certam, potius quasi in dubium eandem veritatem definitam revocare intendit. Cæterum in disputatione Clericus caute procedere debet, nec eam suscipiet nisi conscius de sufficienti notitia rerum: videns disputationem utilem fore, non autem cadere posse in præjudicium fidei et in scandalum aliorum.

41. Prædicare autem nequeunt hæreticis Clerici, nisi ad hoc specialiter deputati. *Cap. 13. h. t. § 'Quia vero'*. Missio enim juxta Apostolum ad prædicandum requiritur, et in specie quando hostibus fidei verbum Evangelii sit nunciandum.

TITULUS VIII.

De Schismaticis et ordinatis ab eis.

1. Ecclesia catholica, quæ est societas in genere suo perfecta componitur ex pluribus particularibus ecclesiis, quæ ceu totidem membra in ordinata dependentia cum uno capite, unum quodammodo mysticum corpus constituunt. Ex hac mutua relatione et connexionione membrorum cum capite exurgit illa mirabilis unitas, qua fideles ordinis inferioris subsunt aliis fidelibus ordinis superioris, atque ita ascendendo Universa Ecclesia subest Capiti suo visibili Romano Pontifici, ita ut unum ovile exhibeat sub uno pastore. Hæc admirabilis unitas rumpitur per *schisma* seu *scissuram*.

2. Schisma aliud *purum* dicitur, aliud *non purum*. Schisma purum illud est, quod *directe* opponitur *unitati Ecclesiæ* non autem *fidei*. Ille scilicet est schismaticus purus, qui omnes prorsus articulos fidei admittit et fatetur legitimæ auctoritati in Ecclesia obtemperandum esse, tamen ex malitia denegat obedientiam legitimæ ipsi auctoritati. Exemplum hujus schismatis frequens erat, quando auctoritate imperiali expulso legitimo Pontifice, Antipapa in Sede Petri ei sufficiebatur.

3. Schisma non purum est illud, quod cum hæresi conjungitur. Hinc si aliquis articulus fidei denegetur ex. gr. si denegetur Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, vel Christi Vicarium cui sit obtemperandum, locus fit schismati non puro. Schisma purum diu non perdurat, sed facile in hæresim convertitur, qua credatur extra Christi Ecclesiam haberi posse salutem vel alia hujusmodi.

De pœnis contra Schismaticos.

4. Hæ pœnæ sunt:

1°. Excommunicatio major latæ sententiæ et Summo Pontifici reservata. Ita in Bulla *'Cœnæ'* et in Constitutione Pii IX. *'Apostolica Sedis' n. 3.* inter excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatas.

2^o. Secunda pœna est inhabilitas ad obtinenda beneficia ecclesiastica, dignitates ecclesiasticas, præsertim vero Episcopatum. Quæ inhabilitas probabiliter per se durat etiam post abjuratorem schismatis, quia inhabilitas jam posita debet destrui per Decretum legitimæ auctoritatis. Hinc in cap. 5. *'De elect.'* dicitur post ejuratum schisma posse dispensari cum electo in Episcopum. Hæc autem inhabilitas non extenditur ad beneficia, quæ jam possidentur, ita ut schismaticus purus beneficio suo privandus sit. Licet enim hæc pœna a Bonifacio VIII. statuta fuisset (*cap. 11. h. t. in VI.*) tamen in hac parte Bonifacii Constitutio correctæ est a Bened. XI. in Extravag. un. h. t.

3^o. Tertia pœna est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ *can. 16. caus. 7. q. 1. can. 31. caus. 24. q. 2. et can. 1. h. t.* Quare nulli sunt actus schismatici, qui jurisdictionem importent; ex. gr. uniones beneficiorum, sententiæ judiciales etc.

5. Si attendatur modus loquendi *cap. 1. h. t. et can. 'Ordinationes' caus. 9. q. 1.* ipsas ordinationes schismaticorum esse nullas deprehendimus et vacuas prorsus effectum. Hæc tamen locutio intelligenda est eo sensu ut ordinatus a schismatico eo ipso sit suspensus ab exercitio ordinis, quasi nullum ordinem recepisset. Huc facit sanctio Constitutionis *'Apostolicæ Sedis'* in titulo *'De suspensionibus latæ sententiæ Summo Pontifici reservatis'*. Sub n. 6. legitur *'suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.'* Animadvertimus vero sanctam Sedem non solere dispensare a censura suspensionis cum illis qui præsumpserunt ordinem recipere ab hæretico vel schismatico notorio.

4^o. Quarta pœna est civilis, nempe confiscatio bonorum. *Cap. un. h. t. in VI.*

6. Si autem schisma sit non purum idest commixtum cum hæresi, hoc in casu punitur eisdem pœnis, quas contra hæresim superius adnotavimus.

TITULUS IX.

De Apostatis et reiterantibus Baptisma.

1. 1^o. *De Apostatis.* Ad genus criminum de quibus hucusque locuti sumus pertinet *Apostasia*. A divo Thoma *in 2. 2. q. 12. art. 1.* Apostasia definitur *'defectio seu recessus a Deo'*.

2. In sacris canonibus triplex præsertim hujus temerariæ defectionis species consideratur: 1^o. *Apostasia a fide* quæ appellatur etiam *perfidia*. Apostata a fide ille est, qui non unum vel plures articulos catholicæ doctrinæ rejicit, aut etiam castra ingreditur alicujus sectæ hæreticorum, sed proprie Apostata a fide ille est, qui christianam religionem deserens, inter infideles vel incredulos adscribitur. 2^a. *Apostasia est defectio a religione idest a statu religioso*. Apostata a religione ille est, qui absque debita venia Superioris legitimi et sine intentione ingrediendi alium ordinem, deserit proprium ordinem religiosum, cui per professionem sese obligavit, absque animo redeundi, licet fortasse habitum ejusdem ordinis adhuc retineat. Si religiosus desereret quidem monasterium absque licentia Superioris, sed animum gereret ad illud redeundi, non apostata esset sed fugitivus, nec pœnis contra apostatas statutis subjici posset. Insuper adnotamus in sensu canonum et ad subeundas pœnas, apostatas esse solummodo illos, qui religionem deserant, in qua ex approbatione Sanctæ Sedis vota solemnia nuncupentur. 3^a. Species apostasiæ est *defectio ab ordine sacro*. Deficit ab ordine qui post susceptum ordinem sacrum, laicalem conditionem iniens, privata auctoritate habitum et ecclesiasticam tonsuram dimittit vel matrimonium attentat.

De pœnis contra Apostatas.

3. *Apostasia a fide* quamvis malitiam aliquam particularem præferat, tamen reducitur ad genus defectionis circa doctrinam religionis, idest ad hæresim. Temeritas enim qua Deo revelanti denegatur assensus in uno articulo, substantialiter non differt ab alia temeritate, qua Deo revelanti prorsus assensus denegatur. Hinc in sacris Canonibus pœnæ contra Apostatas a fide sunt eadem ac pœnæ contra hæreticos statutæ.

In Constitutione *'Apostolicæ Sedis'* sub n. 1. inter excommunicationes speciali modo reservatas Romano Pontifici est excommunicatio contra *'omnes a christiana fide apostatas'*.

4. Pœnæ contra apostatas a religione sunt: 1^o. Excommunicatio ferendæ sententiæ, quoadusque habitus retineatur ab apostata; quæ tamen excommunicatio illico fiebat latæ sententiæ, cum habitus religiosus dimittebatur. Cap. 2. *'Ne Clerici vel Monachi'*. De hac vero pœna tacet Constit. *'Apostolicæ Sedis'*. Religiosi autem Societatis Jesu apostatæ etiamsi vota simplicia solum emisserint, illico tamen subjiciuntur excommunicationi latæ sententiæ, licet habitum non dimiserint. Constitutio Gregorii XIII. *'Ascendente Domino'*. 2^o. Secunda pœna erat suspensio ab ordinibus sacris in apostasia receptis, ita ut etiam restaurata conciliatione cum Superiore, religiosus adhuc indigeat dispensatione Sedis Apostolicæ. Cap. 6. *h. t.* Hæc tamen pœna non est in Constit. *'Apostolicæ Sedis'* renovata, sed solum pro ejectis religiosis censura suspensionis statuta est sub n. 5. per hæc verba: 'Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes'. 3^o. Integro apostasiæ tempore religiosus, privatur omnibus religionis suæ privilegiis. *Conc. Trid. sess. 25. De Reg. c. 19. et Const. Pii IX. 'Postquam relata'*. 4^o. Carceris custodia detineri potest religiosus apostata. *C. 5. h. t.*

5. Pœnæ contra Apostatas ab ordine sunt. 1^o. Censura ecclesiastica ferendæ sententiæ. Cap. 3. *h. t.* 2^o. Infamia ipso facto incurrenda. *Eod. cap. 3. h. t.* 3^o. Amissio privilegii Canonis post trinam eamque frustraneam Episcopi admonitionem. *Cap. 25. 'De sentent. excomm.'* Clericis majoribus apostatis a nonnullis applicatur etiam sanctio cap. 5. *h. t.* in quo conceditur Episcopo facultas mancipandi eos carceri durissimo quoadusque non resipuerint. Verum inspecta decretali in suo originali prout ea refertur a Gonzalez, sanctio cap. 5. *h. t.* solummodo apostatas religiosos afficit; legitur enim ibi 'abjectum habitum monachalem'.

6. II. *'De reiterantibus Baptisma'*. Adeo in Ecclesia fuit recepta et definita doctrina de prohibitione iterandi Baptisma, ut qui aliter facere præsumperit reus gravissimi criminis habeatur; et de hæresi merito suspectus. Hinc contra reiterantes baptisma ecclesiasticæ pœnæ statutæ sunt.

Pœnæ autem sunt: 1^o. Irregularitas tum baptizantis, tum suscipientis. Cap. 2. *h. t.* In hac irregularitate si crimen sit publicum solus Papa dispensat; si vero crimen sit occultum etiam Episcopus potest dispensare juxta generalem regulam datam a

Conc. Trid. sess. 24. 'De Refor. c. 6.' 2^o. Pro clericis depositio, pro laicis vero excommunicatio ferendæ sententiæ.

7. Porro ut pœnæ hujusmodi incurrantur binæ conditiones requiruntur, scilicet ut scienter et absolute post validum baptisma iterum conferatur vel suscipiatur. Hinc ignorantia quæ removet crimen, excusat etiam a pœna. Quæ ratio valet etiam pro irregularitate. Quia irregularitas hic consideratur ceu pœna ob delictum imposita. Hinc pariter si iteratio fiat non quidem absolute, sed sub conditione, licet fiat cum temeritate, et absque prævia debita inquisitione, pœnæ non ligant. Ratio est; quia qui sub conditione baptizatur, non habet animum rebaptizandi baptizatum. *Conf. Reiffenstuel h. t. n. 37.*

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

1. Post crimina, quæ Deum ejusque religionem lædunt, tractat B. Raymundus de criminibus, quæ contra proximum perpetrantur.

In titulo agitur de parricidio et de procuratione abortus.

I. *De Parricidio*. Parricidii nomine intelligitur 'injusta occisio alicujus etiam illegitimi adscendentis, vel descendens in linea recta usque in infinitum'.

2. Contra Parricidam jure antiquo statuta erat *publica pœnitentia* rigide observanda, de qua in *can. 15. caus. 33. q. 2.* In specie autem contra matrem quæ filium occidisset constituta erat *pœna detrusionis* in monasterio ad pœnitentiam sui criminis peragendam, et si hæc pœna applicari non potuisset, mater prohibebatur matrimonium contrahere absque Episcopi dispensatione. Ita in cap. 1. *h. t.* Hodie utraque pœna cessavit. Hinc si parricida sit laicus, in foro externo Ecclesiæ nec judicatur nec punitur, si vero sit clericus, ex sensu cap. 10. *'De Judiciis'* et 6. *'De Pœnis'* degradatur, et curiæ sæculari tradendus est ut congrua pœna mulctetur.

3. II. *'De procuratione abortus'*. Amor illegitimus in damnato commercio carnali, malos exitus habere solet. Siquidem ne proles genita in societate compareat, non raro vel impeditur quominus in lucem prodeat, vel egressa ex utero occiditur, vel turpiter exponitur. Casus secundus, de quo agit cap. 2. *h. t.*, compre-

henditur sub prima quæstione jam tractata, nempe in quæstione de Parricidio; de tertio casu agemus in titulo sequenti. Nunc agendum nobis est de primo casu, qui revera est procuratio abortus.

4. Contra hoc crimen lata est Constitutio Sixti V. '*Ad effrenatam*' Kal. Nov. 1588. Quæ Constitutio visa est nimis rigida tum quia pœnis gravissimis puniebat procurationem abortus fetus etiam inanimati, tum quia absolutionem ab excommunicatione, qua procurantes abortum innodabantur, soli Romano Pontifici reservabat.

5. Quare a Gregorio XIV. correctæ est dispositio Sixtina edita Constitutione '*Sedes Apost.*' prid. Kal. Junii 1591. Ex hisce Constitutionibus simul compositis inferre possumus 1°. Pœnas contra procurantes abortum fetus inanimati speciales non esse, sed ad normam juris communis hoc crimen puniri arbitrio prudentis judicis, vel juxta regulas particulares locorum. 2°. Omnes, qui directe vel indirecte, per se vel per alium, vel per consilium aut auxilium quomodocumque procurant cum effectu abortum fetus animati subjici sequentibus pœnis. a) Subjiciuntur omnibus pœnis ab utroque jure contra homicidas statutis. b) Contrahunt irregularitatem. c) Ipso facto excommunicationem incurrunt.

6. d) Si clerici sint privantur omni privilegio clericali, privantur ipso facto quolibet officio et beneficio quod jam habeant, et inhabiles fiunt ad quodlibet officium vel beneficium ecclesiasticum assequendum. e) Insuper contra Clericos statuta est pœna degradationis, qua peracta, clericus delinquens traditur Curiaæ sæculari, ut juxta leges divinas et humanas puniatur. f) Præter hujusmodi pœnas, procurantes abortum fetus animati, privantur jure immunitatis ecclesiasticæ, seu sacri asyli, eodem modo, quo privantur hoc privilegio rei homicidii proditorii, ex Constitut. Gregorii XIV. '*Cum alias nonnulli*'. Ita S. Congr. Conc. 3. Dec. 1832.

7. Circa istas pœnas animadvertimus irregularitatem, excommunicationem et inhabilitatem ante omnem sententiam judicis in foro interno obligare, non ita vero dicendum est de pœna privationis beneficii, quæ cum importet externam executionem non obligat ullo modo ante sententiam judicis saltem criminis declaratoriam. Animadvertimus insuper vi cit. Constit. Gregorii XIV. ab excommunicationis pœna posse absolvere Episcopum vel alium

quempiam ab eo deputatum; in pœnis autem irregularitatis, privationis et inhabilitatis dispensare solummodo Romanum Pontificem.

8. Immutatio facta est in Constit. '*Apostolicæ Sedis*' quoad pœnam excommunicationis. Nam inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo seu Ordinario reservatas sub n. H°. legitur excommunicatio contra 'procurantes abortum effectu sequuto'. Unde dummodo sequatur abortus, sive fetus sit animatus, sive sit inanimatus censura excommunicationis incurritur. In reliquis servatur jus antiquum quoad conditionem fetus animati.

9. In cap. ult. h. t. agitur de parentibus qui cubantes in lecto cum teneris filiis absque repagulo et debita diligentia, et proinde ex facto culpabili eosdem filios suffocarunt. Contra istos in cit. cap. ult. h. t. et in can. 20. caus. 2. q. 5. statuitur triennalis pœnitentia, et simul præcipitur ut maxima diligentia adhibeatur. Verum pœnitentia triennalis ob disciplinam mutatam obsolevit, nec alia canonica pœna in ejus locum suffecta est. Remanet præceptum etiam Ecclesiasticum de observanda debita diligentia a parentibus, ut periculum suffocationis filiorum removeatur.

Immo inter casus Episcopo reservatos in nonnullis Diœcesibus accensetur etiam factum culpabile suffocationis filiorum.

TITULUS XI.

De infantibus et languidis expositis.

1. Nomine *infantium expositorum* veniunt 'liberi saltem minores septennio, qui contra officium pietatis deseruntur, et nisi ab alieno auxilio suscipiantur et sustententur, necessario misere pereunt'.

Languidi dicuntur illi 'qui gravi et perpetuo vel saltem diuturno morbo laborantes nequeunt sibi quæ vitæ necessaria sunt procurare'. Tales sunt etiam senes.

2. In genere expositio infantum et languidorum est graviter peccaminosa; at potest etiam culpa carere si fiat gravi et legitima causa quemadmodum esset extrema indigentia, qua parentes filios, et Domini servos alere non possent.

3. Quodsi vero expositio fiat ex delicto, idest absque legitima causa 1°. Parentes amittunt patriam potestatem, Dominus vero dominicam, utrique vero solummodo in quantum potestas est one-

rosa filio et servo, et utilis parentibus vel dominis non autem viceversa. Cap. un. h. t. 2^o. Si expositus demoriatur mors expositibus tribuenda est, et ipsi de ea tenentur respondere.

Expositi suscipiendi et alendi sunt in piis domibus seu in brephotropheis vel aliis locis a pietate christiana erectis; quæ si desint Ecclesia ipsa debet eos suscipere et educare. Si Ecclesia hoc opus præstare non possit tenebitur Communitas loci, idest omnes concurrere tenentur sive ecclesiasticæ sive laicales personæ. Ita communiter Doctores. Nec deinde ab exposito expensæ repeti possunt, quia pietatis causa factæ fuisse censentur. Cap. un. h. t.

4. Conditiō juridica infantium expositorum est, ut si nesciatur locus originis sortiantur proprium Episcopum et proprium Parochum in loco expositionis. Præsumuntur vero legitimi nisi probetur genitos fuisse ex illegitimo concubinato. Argumento enim ex capp. 5. et 11. *'Qui filii sint legitimi'* opponenti illegitimitatem onus probandi incumbit. Verum hæc regula non videtur applicari posse expositis relate ad Ordines, et relate ad beneficia ecclesiastica. Nam ex disciplina Ecclesiæ debet positive constare de legitima nativitate personæ promovendæ.

TITULUS XII.

De homicidio voluntario et casuali.

1. Homicidium in hoc titulo consideratur in relatione ad censuras ecclesiasticas. Porro eo nomine intelligitur occisio hominis facta ab alio homine, siquidem si a bruto fiat appellatur *'pauperies'* Jur. Rom. ff. h. t. *'Si quadrupes pauperiem'*.

2. Homicidium aliud est *voluntarium*, aliud *involuntarium* seu *casuale*. Voluntarium est homicidium quando procedit ex intentione directa occidendi aliquem hominem, vel saltem indirecta, et proinde imputatur agenti. Voluntarium aliud dicitur *necessarium* idest electum tamquam medium ad vitæ defensionem, aliud dicitur *dolosum* quia procedit ex fraude, idest ex intentione directa et injusta perdendi hominem; aliud *culposum* quod non intenditur ab agente, sed procedit ex sola ejus culpa, ex defectu debitæ diligentiae. Casuale vel fortuitum illud est quod ex casu procedit, neque directe aut indirecte nobis tribui potest. Rursus homicidium aliud est *publicum*, aliud *privatum*. Publicum illud est quod a

legitima auctoritate permittitur quemadmodum contingit in bello, et in executione ultionis publicæ contra delinquentes. Privatum homicidium illud est quod privata auctoritate patrat.

De homicidio publico.

3. *'De homicidio publico quod in bello gerendo potest perpetrari'*. In bello injusto si unus ex hostibus occidatur vel mutiletur omnes qui ad illud processerunt vel cooperati sunt, irregulares fiunt, omnes enim sunt complices in criminosa occisione. Can. 4. dist. 51. et cap. 6. h. t. § fin. et arg. cap. 5. *'De pœnis'*. Injustitia autem debet esse *evidens* nec sufficit *opinabilis*. Evidens autem injustitia ex indole causæ belli, et melius ex communi proborum hominum sententia determinatur. Requiritur vero evidens injustitia, quia bellum inferentes et cooperatores constitui debent in mala fide, ita ut a crimine excusari nequeant. Hinc qui solummodo bello injusto assistant ut spiritualibus auxiliis militibus præsto sint, nec ullo modo milites ad pugnandum adhortantur, irregularitatem non contrahunt.

4. Quod si bellum fuerit *justum* iterum distinguendum est inter bellum *aggressivum* et *defensivum*. In bello aggressivo seu offensivo fiunt irregulares illi omnes et soli, qui adversarios vel occidunt vel mutilent non quidem ob delictum, sed ob defectum mansuetudinis et lenitatis, quæ in suis ministris ab Ecclesia exigitur, ut Christi Domini imaginem referant. Arg. c. 24. h. t.

5. Si bellum fuerit justum defensivum, cum quodammodo quis adversarium occidat ad propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ neque ipsi qui occidunt milites hostes incurrunt irregularitatem. Clem. un. h. t.

6. *'De homicidio publico, quod in expiatione criminum ex publica auctoritate completur'*. Omnes qui concurrunt in hoc homicidio ex defectu lenitatis fiunt irregulares. Hinc iudex, accusator, aut denunciator, adessor, advocatus accusatoris, notarius scribens sententiam capitalem, testes contra reum deponentes, saltem si sponte sese obtulerint ad ferendum testimonium, omnes deferentes reum ad supplicium, et in genere quicumque partem habent activam et publicam, vel saltem notabiliter proximam contrahunt irregularitatem, effectu tamen secuto. Si enim mors ob quamlibet rationem secuta non fuerit, irregularitas non incurritur